

rum esse, loco Magistratus, loco Sacerdotum. *Docet namque, sunt verba ipsius, hic Doct̄or, neminem ledere, honeste vivere, & suum cuique tribuere. Hæc, inquam, si malè fecerimus, loco mille tormentorum, imò inferni; sin benè, loco cœli, quamdiu hæc unica vita superat, semper erit.* Atque hinc sibi suisque, quos dicit, gregalibus Conscientiariorum sive der Gewissener imposuit nomen. Verùm, quid conscientia, sine DEo? quæ cum homine in morte pereunte periret? Videmus, homines, DEum quantumlibet statuentes, contra conscientiam tamen agere: quanto non magis id fieret, si nullus admitteretur, improbitatem vindicaturus, DEus? Id quod aperto satis indicio est, admissâ conscientia, admitti etiam DEum debere. Cujus etenim efficaciam foret conscientia in hac, quæ brevissima est, vitâ, nisi tanquam scelerum ultor & vindex post hanc etiam vitam DEus timendus esset? Prolixius pariter ac solidissimè hæcce discussit MUSÆUS *Tr. von der vermeinten Gewissener Secte p. 41. -- 47.* qui legi heic omninò meretur. Concludendum igitur est, sine admissio DEo, nullum conscientiam locum esse, nullam agnosci virtutem obligandi, convincendi atque cogendi Legis naturalis, proindeque Legem naturalem ipsam, præter nudum vocabulum, nihil aliud quidquam haberi. Unde consequitur, etiamsi actiones quædam per se suamque naturâ bonæ vel malæ sint, Atheismum tamen, quia DEum negat, non per accidens, aut ex abusu tantum, sed per se, directè necessarioque ducere ad vitæ improbitatem, & Atheum non, nisi per accidens duntaxat, civiliter probum aut virtuosum esse,

Tantum!

S. D. G.

